Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

ur.
78

ORATIO TRANQVILLI PARTHENII ANDRONICI DALMATAE CONTRA THVRCAS AD GERMANOS HABITA

saec. XV et XVI

NEMZETI MÚZEUM KÖNYVTÁRÁBÓL

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

AD INVICTISSIMVM MAXIMILIANVM CAESAREM AAGVSTVM/ Tranquilli Parthenij Andronici Dalmatæ Epistola.

Onsideranti mihi Cæs. Aug. hinc odia Christianorꝫ Principum / vt quasi mutuis interituri vulneribus in arenã descẽdere videantur: illinc debacchãtibꝰ Thurcarum animis/adeoq; in nostram perniciem inflãmatis / vt inter eos decretum sit de excidẽda Rep. Christiana: optimum sane visum est / me / cui vtinam tanta acerbitas minus constaret partim vires ac rabiem truculentissimę gentis tuos Germanos edocere: partim ostendere necessariã esse contra Thurcas expeditionem. Qui alioquin omnia deuastabunt / nisi Germanorum virtute reprimantur. Hanc itaq; orationem tuæ Maiestati legendam venerabundus offero / Te Christianorum principum caput/ac certissimum terrarum numẽ atq; tutelam Cæsar obsecrãs obtestansq;/vt ruenti fidei Catholicę mature consulas/ Te omnes sequẽtur Principes: tu vel sola tua florentissima Germania & oppressos liberaturus es Christianos/ & omnem imminentis calamitatis metum dissipaturus. Hac via imprimis tui cæsares inter deos recepti sunt: his tu summotis periculis / & fides nostra est verior & sanctior / eo certius recta in cœlum es euolaturus. Vale. Augustæ Vindelicorum. viij. Cal. Iu. M.D.XVIII.

ORATIO TRANQVILLI PARTHENII ANDRONICI DALMATAE CONTRA THVRCAS AD GERMANOS HABITA.

QVamq; scio multum acerbitatis ad meum dolorẽ accessurũ esse fortissimi Germani, si ingentẽ immanissimorꝫ Thurcarũ potentiã referre voluero: partim q; meũ recens atq; grauissimũ vulnus mihi ipsi refricare necessũ est/partim etiã magnitudine imminẽtis calamitatis/ ne dicã excidij resp. Christianę/nisi deꝰ optimus maximꝰ tantã ruinã auertat / repellat/exterminet: tamen neq; proprijs periculis/ac diuturna malorũ serie / neq; communibus incommodis/in quibus maxima pars diu versati sumus/ ac(vt video) longe diutius versabimur/deterrebor: quin ea/que ad omniũ vtilitatem spectare videbuntur/forti ac intrepido animo exprimã/quotidianis nostræ miserrimę conditionis fluctuationibus / earumq; causis subinde assignatis. Qnæ non tam longinquitate locorum esse ignota Germanis puto/ q̃ q; ea hominum natura est / vt blandiente aliquantum fortuna nec præteritorꝫ recordentur malorũ / nec futura prospiciant: Quæ res in alienis detrimentis multo manifestius apparet. Cæterum deberetis considerare nos omnes in eadẽ esse naui/ijsdẽ procellis agi/eandem fortunam subituros esse. Nõ solũ enim in Græcos/ Epirotas/ Illyrios/Pannonioſq;/quorum maior pars ac melior crebris Thurcarum incursionibus iam deuastata est/tanta belli moles cõparat/vt in ijs ipsis dumtaxat terminis ferinus immanissimę gẽtis furor efferueat. Longe autem aliena est mens sæuissimi hostis: siquidẽ nihil aliud dies noctesq; cogitantem conperimus / q̃ quomodo omnia/ quæcunq; sub catholica fide continentur/ euertere/ perderet/ ad interitum deduceret. Q; si quispiam & initia rerum/ & progressus diligenter animaduertere velit. facile ijs omnibus assentietur. Quippe ostendam neq; validiorem populum vnq̃ ab

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

orbe condito in Europa coaluisse/ neq; vniuerso Christianorum nomini infensiorem perniciosiorem q; fuisse/ neq; rempublicam Christianam tantopere labefactatam in maioribus instantis ruinę discriminibus extitisse. Nam q; vt ipsa Thurcarū primordia paulo altius repetam: præter Herodoti ac Diodori sententiā (de Mosis autē relatione alia est cōsideratio) constat Scytharū gentes antiquissimas ac semper populosissimas fuisse: quippe nec aquarū inundatione/ sicut cæteri/ sub mergi potuerunt/ quum eminentiorē partem terræ/ quasi quandā arcem teneant/ vt omnia inde orta flumīa in meridiem decurrāt. Neq; ea regio æstatis incōmoda subire potest/ vnde & corpora citius collaberentur/ & ex infecto ab æstuantibus vaporibus aere innumeris morbis obnoxia forent: siquidem & remotissima est ab æquinoctiali circulo septentrionē versus/ & continuis flatibus Aquilonis expurgatur/ vt nec ibi graues nebulę cōdensentur/ nec fulmina vibrētur/ nec tonitrua exaudiant. Atqui nō argumētis solū/ sed aliquot exemplis q̄q; cōprobatum est Scythas præter alias nationes hominibus abūdare/ ac esse fortissimos bellatores. Non eo quidē inficias/ q; olim pene Gallos, Cymbros, Teuthones summa belli gloria extiterit/ vt cæteris gentibus maxime fuerint formidabiles: sed infœlicibus postmodū succæssibus omnem famam denigrauerūt: Testis est Italia/ quæ sæpius gallico sanguine maduit/ vt Romani plures de gallis triumphos/ q̄q; de toto terrarū orbe duxerint: testes sunt Delphij vbi vnica tempestate gallorū exercitus Brēno duce concidit: testis est Asia, in qua Tolostobogi/ Trocini/ Tectosagi (q̄uis diu toti Asiæ cis Taurū montem imperauerint) a Gn. Mālio cęsi atq; subacti sunt. Cimbros/ Teuthonesq; terribili marte vlulantes C. Marius Arpinas cū eorū coniugibus ac liberis deleuit. At certe bellica virtus vt in ipsis initijs necessaria est/ sine qua nihil expugnari potest/ ita omnis eius laus constanti ac infracta pertinacia neq; laboribus/ neq; luxui succūbendo consumatur: vnde non immerito creditum est/ regna ijsdem artibus teneri/ quibus parta fuerint. In qua re.

Scythę antiqissimi et populosissimi.

Scythia ī ædito loco.

Scythia expers æstus.

Galli. Cymbri. Teuthones.

Crebre Gallorū in Italia strages.

Galli apd Delphos deleti.

Tolostobogi.

Trocini.

Tectosagi

Cymbrij cū teuthonib⁹ a mario deleti.

Scythæ inuicti famis ac laboris.

Scythas gētem famis ac laboris inuictā excelluisse nemo negabit: qui domi foriscq; egregia semper opera gesserūt. Quis ēm vnq̄ Scytharū fines sine magna infamia præter Alexandrum magnū ingressus est? At Zopirionē cū viginti. M. Macedonum/ Cyrum cum ducētis millibus persarum ceciderunt: Darium eiusdem gentis regem in fœdissimam fugam compulerunt. Eductis vero in exteros armis quū trium maximorū regnorum in Asia conditores extitissent/ Parthi/ quorum duodeuiginti regna fuisse produntur/ ad tantam magnitudinem peruenerant/ vt multos per annos toti ferme Asiæ imperauerint: Romanoq; in id tempus florentissimum ac potentissimū populum/ recentibus quoq; victorijs Aphricæ/ Numidiæ/ Hispaniarū/ Galliarum/ Britanniæ/ ac omnium nationum intra Rhenum Danubium & mare Lybicum existentium/ subacta quoq; Syria/ ac duabus Armenijs in potestatem redactis exultantem duobus prælijs Crasso ac M. Antonio ducibus graueiter afflixerunt. Quid commemorem bellicam fortitudinem Bactrianorum/ qui a Scythis originem traxerunt? Fœminas enimvero Scytharū ad summum gloriæ fastigium vnica belandi scientia peruenisse liquet. Taceo de Iaxamatis/ alijsq; in tra suos fines pari viris animo prœliantibus: Amazones patrios limites egressę armis nō modo sedes acquisiuere/ sed bellicosissimas gentes sibi tamdiu parere coegerunt/ donec Hercules Iouis filius Euristei iussu, pfligatis amazonib⁹ Hyppolitem reginam non abduxerit/ atq; Panthesilea demum bello troiano ab Achille non sit interfecta: tametsi comperio relatū in monumentis Amazonas vsq; in tempora Alexandri Macedonis floruisse. Haud leuiores tumult⁹ fere ab eadē septētrionis plaga ruentiū instar turbinū Europā lacerauere: Inde Huni/ Gotti/ Vandali/ Ostrogoti/ Visigoti Thraciam Macedoniam/ Græciam/ Epirum/ Illyridem/ germaniā/ Gallias/ Hispanias/ Italiam/ ipsam quoq; Romam caput orbis/ dominā terrarum/ triumphatricem gentium sub ipso Christianorum principum conspectu deformauerūt. Sic paulo post ex rigenti

Zopirion cū Macedonib⁹ a Scythis cæsus.

Pharū strages in Scythia.

Darij fuga ex Scythia.

Scythę. 3. regna i Asia cōdiderunt.

Parthorū 18. regna.

Parthi domini asię.

Parthi romanos cædunt.

Fortitudo Bactrianorū. Fœminæ Scytharum bellicosæ.

Iaxamatę Amazonū virtus.

Amazones ab hercule profligatæ.

Panthesilea ab Achille interfecta.

Huni. Gotti. Vādali europā deuastantes. ostrogotti Visigotti.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Sclauini ex Scythia effusi.

perpetuis niuib⁹ angulo Sclauini veluti nimbo effusi a nemi-
ne repelli potuerūt/quin transgresso Danubio omnia ad mare
Adriaticum deuastarent. Itaq; quum in Hispania consedissent
Vandali / Sclauinorq; pars Saxonū terras non procul a Viado
flumīe occupauit: Pars Gepidis/ Silesijs/ Macromanis/ac Be-
mis expulsis ad Noricos Boiosq; vltra fluuiū Albim se extē-
dit. Reliqui vtrasq; Misias ac omnē tractū post Emum/ Rho
dopē/ Orbalum vsq; in Hellespontum/ac Pindum/et Cetios
montes sua gente suoq; nomine impleuerunt. A postremis
Scytharum Hungaris Pannonia inferior intra Carpatū mon-
tem/Danubium/Drauum / & Sauū flumina fugatis indige-
nis possessa est. Quibus gentibus dei benignitate in Catholi-
cam fidem receptis tranquilla fuerant superiora tempora. Ecce
ijsdem ab oris longe atrocior tempestas proterens euertensq;
omnia funditus / ne nostris quidem visceribus parcit. Cuius
leuissima primordia in magnam vim se attollentia considerans
ti multum profecto admirationis / plurimum timoris affe-
runt. Non enim Thurcæ quadrato agmine / non instructo
exercitu / non militaribus copijs / non ijs demum viribus / vt
aperto marte congredi auderent ex Sarmatia Asiatica testimo-
nio insignium scriptorum defluxerunt/ sed vilis ac parua per-
ditorum hominū man⁹ quali quodam cōspirantiū more / nec
quidem animo subigendi ,p uincias ex patrijs siluis/quas ędiū
loco habent/excessit: Verum/vt latrocinādo prædā & maxime
pecoris/quo summe delectātur abigeret/saltus/rupes/pylas/
& claustra montiū occupauit. Inde Othomanis ducib⁹/ quo-
rum soboles vsq; in hanc diem apud Thurcas imperiū hære-
ditario iure obtinet / populabundi clam inopinateq; in proxi-
mos quosq; excurrētes cœperunt sibi nomē & vires apud fi-
nitimos vendicare. Proinde/ vt est magna pars hominū alieni
appetens/ac nouorq; motuum auida/ vndiq; ad eos quisq; fla-
gitiosissimus confluere: ijs se in partē prædæ adiungere. Itaq;
crescentibus indies viribus atq; animis / obliti domesticarq; sil-
uarum/ quas perpetua frigora & niues infestant; adhæc molli

Origo thurcarū. Thurcæ siluas incolunt.

Othomani thurcarū duces. Othomani apud thurcas imperāt.

cælo frugū/ vini/carnisq; dulcedine/ac rerū omnium copia ad
illecebras & blandimēta corporis alliciente/ quibus potissimū
Asia abundat / & quorq; Barbari sunt auidissimi / quū nec vl-
los deos/nec animorq; immortalitatē credant/decreuerūt ob-
secundantē fortunā sequi/ ac se omnibus periculis opponere /
donec aut omnes fortiter pugnādo gloriose interirēt/ aut insi-
gni victoria potirētur. Primū igitur atq; alterū experti secun-
dum prœliū in eam spem elati sunt / vt dicerent/ neminem sibi
obsistere posse/quo minus totam Asiam subiugarēt. Nec sua
decepti opinione / breui spacio tēporis alijs ferociæ barbarorū
metu cędētibus: alijs/qui se ,p patria/opib⁹/ac libertate oppo-
suerant crudeliter trucidatis, Colchos, Cappadociā, Paphla-
goniam, Gallaciā, Asiam, Phrygiā, Meoniā, Lydiā, Ioniam
Cariam, Lyciā, Pamphiliā, Ciliciā, Armeniā, ac omnes oras,
oīaq; littota sinistri lateris ab ostio Tanais, ac Cimerio Bos-
phoro vsq; ad Amanū montē & Eufratem fluuiū partim vi/
partim dolo subægerunt. Sic rebus ad orientem succædenti-
bus non cogitantes sordida sui incrementi initia, neq; con-
tenti tanta terrarum vrbium q; accessione, sed more inexple-
bilis humani ingenij maiora indies appetētes in Europam per
Hellespontum angusto intersecante freto facile trajciunt: ac
velut fulmine e cœlo demisso passim volitantes omnem oram
Thraciæ incendijs/ ferro/ direptionibusq; subijciunt. Quo-
rum subito atq; inopinato aduentu ita consternati sunt incolę/
vt alijs latebras in siluis quærentibus / alijs in fuga montium
refugientibus / maxima pars se in vrbibus occluderet. Itaq;
Barbari omissa præda ad oppugnationem vrbium se accin-
gunt: quibus partim in deditionem receptis / partim vi ex-
pugnatis/ Capta demum Constantinopoli altera Roma vni-
uersæ Thraciæ iugum imposuerunt. Deinde Thraciæ for-
tunā sequūtur Peones/Triballi/ Macedones/ Thessalli/ Ma-
gnesij/ Achęi/Boetij/Opuntij/ Græci/ Aetholi/Locri/ ac to-
ta Peloponnesus/excepta vnica Venetorum ciuitate Neapoli.
Eadē ,pcella distrinxit Epirū / Illyridē/ Dalmatiā/ Liburniā/

Asia copia rerum abūdat.

Thurcæ nullos deos credūt.

Thurcę se cūdā experiūt fortunam.

Prouinciæ a thurcis in asia occupatæ.

Trāsitus thurcarū in europā

Thurcæ thraciā deuastant.

Thracia a thurcis subacta.

Constātinopolis altera roma

Gētes a thurcis deuictæ.

Prouincię a thurcis in europa acquisitę.

Neapoli

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Modernꝰ Thurca Syriã occupat.

Dardaniam / vtrasq; Misias ad Tauricã Chersonesum. Idem Thurca superioribus duobus annis per Syriam / Anthiochiã / Mesopotamiã, Babiloniam / Iudæam Palestinã / Aegiptum vsq; ad Cinammiferã Arabiã & Persidẽ victorem exercitũ circumtulit. Quantum vero nauali bello valeant testimonio sunt Lesbos / Samothracia / Euboea / Salamis / Cyclades / omnesq; in Aegeo & Ionio mari præter Cretam et Corcyram e manibus Christianorꝫ ereptæ insulæ. Nouissime autẽ ingenti classe mare Siculum / Tyrrhenũ / Ligusticum / Lybicũ / Balearicum infestis populationibus littora legendo / contortis in fretũ Gaditanum iaculis fœliciter duce Camali transnauigauerunt. Hæc a Thurcis in Asia & Europa / nuperq; immisso in Lybiam imperio terra mariq; per annos circiter quadringentos subacta sunt. His supra trigita regnis viris / equis & armis abundantibus tantas vires / tantã potentiam / cõsecutus est ferocissimus populus / vt nõ modo aliquẽ principẽ non expaueat / sed omnes Christianos sibi nõ esse pares arbitratur. Et quum incredibili flagret cupiditate dilatandi in diuersas partes nomẽ & fines imperij: æstuans inexpiabili odio aduersus Christianos id maxime per sanguinẽ & viscera nostra tutũ atq; oportunum esse iampridem in animũ induxit. Cuius odij causas tametsi difficile est affirmare: tamen plæræq; cõsentaneæ rationes suapte se offerunt. Occurrunt sane primo grauissima & cruenta bella q̃ ab Hungaris et Illyrijs ꝓ Triballis / Misis / atq; Dardanis contra Thurcas gesta sunt: vt ijs multo fuerit difficilius has obtinere prouincias / q̃ expugnare: tot.n. vtrinq; desideratos / tot strages factas memoriæ proditũ est / vt qui vicit propius metum fuerit: numero tandẽ & hostiũ pertinacia victi succubuimus. Et q̃uis vlti ignominiã cumulatæ sint: tamẽ fere omnibus / et præsertim barbaris a natura insitum est / vt ijs quos aliquãdo metuerũt / semper infesti sint. Getis vnico proelio superatis cõtenti fuere tributũ imposuisse munito proprijs præsidijs Monocastro in ostio Danubij. De Tauricis populis nihil exigunt præter vectigalia in Theodosia ciuitate / quã

Thurcarũ virtus in mari.

Insulæ a Thurcis subiugatę

Camalis ꝑfecꝰ classis Thurcarum.

Regna supra trigita thurcis subiecta.

Odiũ thurcæ in christianos.

Causę odij Thurcarꝫ bella cum Hungaris et Illirijs.

Thurcarꝫ ptinacia vicimur.

Getæ q et Vallachi Thurcarũ tributarij.

Monocastrum.

Tauici thurcarũ vectigales

Theodosia quę et Capha.

vi cœperunt. Persas destitere persequi sublato e viuis nepote / cuius caput sæuissimus omnium Thurca / quos terra sustinet / appetebat. Situe ꝓpterea nostris ceruicibus tam grauiter insultat / quo. s. facilius orbe terrarꝫ potiatur. Nam inter omnes populos / excœptis Scythis / europei bellicosissimi reputãtur / nulliq; latius imperiũ propagauerũt. Persis quidẽ Græciã occupare conãtibus / magna clades maiorq; dedecus illatum est. At Macedones (vt modo Athenienses / Lacedemoniosq; præteeamus) vniuersę Asiæ dominati sunt. Romani Europam Aphricã / atq; Asiam ad Caucasum montẽ tenuerũt. Quorũ victricibus armis Indi Seres / ac nonnulli Scytharꝫ territi legatos ad Cæsarẽ Augustũ cũ muneribꝰ miserũt. Idcirco Thurcæ inter omnes ꝓuincias præcipue in Italiã transire anhelant: ad hoc eos inuitãte rerũ omniũ copiosissima ac opulentissima præda. Sed quid opus est tot cõiecturis veritatem indagare? iam ad certissima nostræ ruinæ argumẽta descendamus. Nostra scelera cõtra nos bellum cõparauerũt nr̃a scelera. Quæso qd flagitiorũ pretermisimꝰ? quibus vitijs nõ obtemperamꝰ? in quam infamiã non sumus deuoluti? O miserã temporum conditionẽ: O ruiturum sæculum: vbi est illa sanctitas / qua superioribus annis omnia læta ꝓueniebãt? Quod venenum se immiscuit inter Christianos? a quibꝰ furijs hæc labes immissa est per luxũ & libidinem pereundi perdendiq; omnia? Vnde hæc orta est ambitio caput omnium malorum? quæ lues non solum in priuatos homines longiꝰ euagatur: sed eos quidem / quibus generis humani cura cõmissa est / in quorꝫ manibꝰ nostra salus cõtinetur / ita infecit / vt diuini humaniq; iuris oblíti nostro sanguine nr̃is membris inter se digladient / nostris vulneribꝰ sua odia expleãt. Heu quãta iuuẽtutis strages infra triginta annos facta est: nõ connumeratis .n. cædibꝰ inter Gallos / Britãnos / Scotos: pretermissis principũ Germanię dissensionibꝰ: in Italia profecto iuxta Varꝫ / Minciũ / Benacũ / Athesim / Lirim / & nuper in agro Rauẽnate ac Mediolanensi supra trecẽta millia hominũ ceciderũt / quibus copijs vsq; ad In-

Odium Thurcarꝫ ĩ Persas lenitum.

Europei ppli belli cosissimi.

Persę infamiã ĩ græcia cõsecuti.

Macedones vniuersę impauerunt Asiæ.

Termini Romani imperij.

Indi.

Seres.

Scythæ.

Cęsar Augustus

Thurcarꝫ cupido in Italiã transiciendi.

Scelera Christianorum.

Ambitio caput omnium malorum.

Galli.

Britanni.

Scoti.

Strages Christianorum in Italia.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Rusticorum furor contra nobiles.

dos peruenire potuissemus. Ne autem parum inter Duces prœliatum esse videatur / sæpius ad priuata arma concursum est: & / quod minus crederetur / rustici contra nobiles impetum fecerunt / alios trucidantes / alijs patria ac bonis intercicentes. Quæ res quum primo in Dalmatia sub Venetorum dominio impune succæderet / in idē scelus traxit Istros / Carnos Hungaros quoq; ne episcopis quidem parcentes. Solus autem Rex Hispaniæ aduersus infideles prospere pugnando fidem Catholicam tutatus est: Pœnos enim quos Saracenos appellant / diuturno bello contusos defatigatosq; / atq; a Betica / quam occupauerant expulsos vsq; in Aphricam cædendo ac vrbes eorum diripiendo persecutus est. Cuius refrigerato calore / sicq; ad italicos tumultus conuerso iterum Pœni collectis animis oras Siciliæ / Sardiniæ / Corsicę / atq; Italiæ vehementer infestāt: proximo quoq; anno pene summum Pontificem feras venantem intercœpere. Proinde si quando ab intestinis bellis respiratur, irruunt socordia, ignauia, ac teterrimæ voluptates explosis aut penitus obrutis virtutibus, tunc videbis regnare Lenones, Parasitos, Coraules, Tibicines, Cytharedos, Delatores, Detractores, ac id genus hominum pessima execrandaq; vicia disseminantium: probitati raro locus patet. Quippe iam pridem eo scelerum deuentum est, adeo mores corrupti deprauatiq; sunt / vt neq; laudanda facimus / neq; laudari honestum putamus. Idq; magis dolendum / q; virum honesti ac liberi animi, sicubi conspiciunt, non aliter ac albam cornicem impetunt, deplummant, discerpunt: quicquid enim principes oderunt aut amant, id necesse est & aliorum opinionem sequi. Atq; vtinam in his terminis isti morbi consedissent, Latius sane penetrantes in capita quasi contagione quadam irrepserunt. Itaq; quum vulgo laboretur omni genere turpitudinis, fœdiora quidem vitia pernitiosissimo exemplo sacerdotes inuasere: qui? Nempe ij, quos Saluator suos Christos appellat, Qui dij gentium vocantur, qui demum Apostolis succæsserunt, vt sanctitate vitæ omnibus anteirent: quorum partim vestigijs inhærendo, partim præceptis obsequendo veram ac immortalem gloriam iam diu nobis præparatam atq; per Prophetas pollicitam cætera plębs cōsequeretur. At hi dum taxat auariciæ / gulæ / inuidentię inhiantes / blandissimis ac detestandis illecebris abutuntur. Quid ita? vt pessundatis virtutibus nos secum in æthernos luctus adigant. Quamobrem? quoniā nec virtutibus præmia / nec flagitijs pœnę desunt. Multi frustra magnis titulis infularū q; insignibus confidunt: sed omnia mors æquabit / grauioraq; delicta / grauioribus supplicijs pianda erunt. Num arbitramini parui criminis sanctuarium dei / sanctuarium inquam / quo sancti omnes esse deberemus / ab alijs tanq; hæreditario iure occupari / a plærisq; nephandis sordibus polluī? Ad hūc. s. exitum acerbissimę cędes Apostolorum ac sanctorum Martyrum euaserunt? Qui si reuiuiscerent / sic dei ministros alloquerentur. O ingratum genus ac impia propago quæ rabies eo vos compulit / vt quod a nobis magnis laboribus / ieiunijs / plagis / sparso proprio sanguine / ac demum vita per exquisitos cruciatus extorta paratum est: id vos in delitijs defluendo / scortando / alea lndendo perdere decreueritis? Nos per summam paupertatem ecclesias ædificauimus: vos in auleis / tapetis / conchilyatis stragulis / & argenteis lancibus Scurras / equos / & canes alendo consumitis ac cuertitis. A nobis iacta sunt in plæbem & firmata semina fidei & veritatis: ea per vestram nequitiam subruuntur ac opprimuntur. At certe vbi maior peccandi modus inest / ibi minor licentia deberet esse. Igitur miramini si morbi / fames / domestica externaq; bella vos lacerent? magis enimuero mirandum est / q; aut montibus non obruamini / aut vos vndæ non absorbeant / aut terra sub pedibus non subsidat. Putatis solo noīe Christiano irā dei euadere? scelera suppeditauerūt hanc gratiā. Si. n. deo nequitiā tum imbribo / tū igne vltus est: si Hebręos electū sibi populū /

Dalmtia. Istri Carni. Hungari. Pœni ex Hispania pulsi. Petica. Pęni de nuo infestant. Sūmo pōtifex a Pęnis fere interceptus. Corrupte la Christianorum.

Probitas explosa.

Vicia ī capita irrepserunt.

Sacerdotes christi

Sacerdotes dij gentium.

Sacerdotes Apłorū successores

Sacerdotū scelera.

Scrāriū dei pollui tur.

Mala ppē scelera insecuta.

Hebręi castigati a deo.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Hebrei Pharaoni seruientes. Hierosolyma diruitur. Hebrei hodie q̃q; affligunt Thurca flagellum dei.

apud quẽ Christus natus est / castigari uoluit? Si impotẽti Pharaonis imperio diu pressit: si Hierosolymã caput Iudęę pœne solo per Romanos æquauit / atq; Hebręos transgressos fines iusticiæ vagos per orbẽ afflixit / ac in hãc vsq; diem affligit: si tot amplissima regna florẽtissimasq; Respublicas euertit: num parcet vestris flagitijs? num cõtagionẽ istã impune vagari dimittet? En Thurca flagellũ dei distrinxit cruentũ gladium / vt has extirpet iniquitates: eluentur sordes / & fiet vnus pastor & vnũ ouile: Atq; / q̃d minime putes / de⁹ inimicos suos perdet manu inimicorũ suorum. Quare quid malorũ passi fuerimus / & quãta Christianorum capitibus acerbitas imminear quæso animaduertite. Nõ dubito plærisq; rerũ ignaris / & qui nullũ bonum præter voluptates nouere / has meas cõplorationes ludibrio fore. Vtinã essent vanæ meæ querellæ: vtinã extaret aliqua ratio minuendi hũc dolorem / quẽ ingentes calamitates peperere / quotidie nouis accrescẽtibus. Sed qui possum abstinere a lachrimis? siquidẽ eo vsq; miseriarum atrocitate fortunæ redactus sum / vt non solum inter armorum strepitus vnico sensu aurium dolere satis fuerit: sed quod omnium miserrimum est / communium particeps malorum grauissimis calamitatibus interfui / lamẽtabiles Christianorum strages his oculis vidi / & infœlix miserrimæ ruinæ spectator extiti. Quis porro est tam ferreo pectore / quem tantum fecit alienum ab humanitate crudelitas / vt hanc acerbissimam fidelis populi iacturam siccis genis audire possit? In aliqua enim experte hostilis metus ciuitate aut exorto paruo tumultu aut nunciatis grassatorum irruptionibus / quãta homĩes inuadit trepidatio ex eo satis apparet / q̃ ex templo clauduntur portę / obserantur ædes / paucis ad opem ferendã in forum progressis. Quæso nũc cogitate cũ vestris animis abducta pecora / vastatos agros / villas incensas / euersa Christianorũ ab immanissimis Thurcis oppida: qui nõ prœliant vt prouincias faciãt / vt tributa ciuitatibus imponant / nempe solidum quærunt imperium: alibi indigenis cæcis / alibi puberibus interfectis / alibi nec pueris / nec fœ-

Christianorũ calamitates. Thurcarũ crudelitas

mineo sexui parcentes, vrbes maxima rabie inuadunt / occurpant / psternunt. Videres effusas per domos & templa flammas / ac ingenti fragore tecta corruere: hinc a cõplorãtibus / illinc a sęuientibus ex sublato clamore vnũ horribilẽ sonum effectum: nonnullis in extremo suorũ cõplexu cohærentibus / alijs ante aras ac ipsa dei puluinaria iugulatis: hic mater frustra retinere conata infantem: illic virgines in conspectu parentum cõstupratæ. Dij immortales quãta prophanorum sacrorumq; direptio? quantus efferentium prædas repetentiumq; discursus? Interea nihil audiri præter gemitus eiulatusq; / ac impios hostes aut gladium vibrantes, aut fores effringentes, aut ædes dirruentes. Alta tunc forma ciuitatis sæuiente igne ac profluentibus riuis sanguinis, vt ipsam quoq; diceres lamentari suam suorumq; ruinam. Demum quanto cum horrore illa vox excipitur, quum ijs, qui pauci ferrum atq; incẽdium euaserint / vnoquoq; ante suum prædonem cathenato / proclamatur: Veteres migrate coloni: tunc primum capi vrbs videtur / tunc frustra dulcẽ patriã respicientibus noui plorat⁹ excitant. Heu relinquenda est domus / nõ amplius adeunda tẽpla / carendũ suis / carendum amicis, nec vxor visura maritum, nec mater filium abiguntur in deplorandam captiuitatem. Vbi patria non vti religione / non quiescere / non loqui pro arbitrio datur: atq; vt præteream innumera mancipiorum apud Thurcas & grauissima incommoda / illud maxime facit inuisum omnem viuendi modum / q̃ iumentorum vicem subire cogantur / seipsos execrantes / q̃ semel pro libertate in natali solo fortissime non occubuerint: nunc eos quum quotidie moriantur / mori non posse. Num ridebitis hanc stragem humani generis / fidei q̃ catholicæ detrimenta? Sed porro / vt est procax multorum natura in alienis malis / ridebitis. Sic græci Asię / Illirij græcorum malis lætabantur / nunc nostræ vos clades oblectant. At quidem non risit Carniola / non Stiria repagula domus Austriæ: non risit Forum Iulium Venetiarum horreum / quum

Euersę Christianorũ vrbes. Ruina Christianorum. Misera Christianorũ seruitus. Carniola, Stiria. Forũ Iulium.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

nullo repellente ferocissimus Thurca more fulminis omnia ferro flammaq; protereret: potuistis audire miserorum gemitus / ac vlulantium hostium terribilem clamorem : vndiq; fumantia tecta cernebantur . Ardet vicinia / ignis iam proxima quæq; populatur/ qui postq; late diffusus est/ difficile extinguitur. Facilius enim est crescentibus viribus resistere / q; quũ ipse omnia sua magnitudine/quo se inclinauerint/ opprimãt. Quippe non temere Cæsarem dictatorem dicere solitum accepimus / difficilius se principem ciuitatis a primo ordine in secundum/ q; a secundo in nouissimum detrudi. Profecto hęc eadem in Thurcis multo certiora apparent : Si quidem nec potentissimi reges eorum impetum sustinere potuerunt:nec ab illo fortissimo Matthia rege Hungarię/ qui non Austriæ solum/sed erat terror totius orbis/coerciti sunt/quin sæpe prœlio victores vitæ opibusq; Hungarorum insultarent:neq; paulo ante Sophis rex Persarum coacto omni oriente ac populis Caspijs / armis aut vi sine dolo atq; fame a Persidis penetralibus Thurcam istum repulisset / Thurcam inquam præcipuum ac memorabile sæuitiæ exemplum / vtpote qui grauissimum cum patre bellum pro imperio gesserit / qui victum patrem purpura sceptroq; spoliatum de Auito solio eiecerit / cui nunc ipse genitoris sanguine consperso innititur : qui paternæ germanorum ac nepotũ necis auctor nihil a cudelitate alienum facere instituerit/adeoq; sanguini/cædibus/sæuitiæq; indulget/ac in iram præceps rapitur/ vt illis asperrimis atq; atrocissimis Scythis/ vnde ea gens deuoluta est/ longe truculentior habeatur. Nec vires animo desunt : nam duobus & viginti gentibus in Ponto Mithridati olim subiectis imperat / possidet opulentissimam Asiam / bellicosam subegit Thraciam / deuicit Macedoniam : quæ terrarum imperio quondam potita est/quæ Asiam/Armeniam / Iberiam/Albaniam/Cappadociam/ Syriam/ Aegiptum / Taurum / Caucasum transgressa : quæ in Bactris/ Medis / Persis dominata toto oriente

Dictũ Iulij Cęsaris.

Matthia rex Hungarię.

Sophis rex Persarum.

Thurca sęuitię exemplum.

Modem? Thurca patrẽ regno expulit.

Thurca Scythis truculentior.

Gętes Mithridatis.

Macedonia quondã terrarũ imperio potita.

possesso:quæ Indiæ victrix per vestigia liberi Patris acq; Herculis vagata est : quam contusam vix tribus ingentibus bellis Romani domuerant. Quid commemorem græcorum imperia/ & Epirum regiam Aeacidarũ / aliasq; validas ac populosas prouincias a Thurca subactas? nuper potentissimum Soldanum regem Syriæ / ac diu sibi parem pluribus memorandis prœlijs superauit/attriuitq;/regno eius per vim occupato. Quo quidem in bello cum maxima huius Thurcæ cupido totum orbem possidendi / tum execrabile in Christianos odium apparuit. Quippe quum esset initurus dubiam martis aleam / admonenti sacerdoti / qui eorũ lingua Deruisc appellatur/ vt voueret Machometo tamplum/ prout sui maiores semper in huiusmodi discriminibus fact itauerint: respondit/si pennes se victoria remaneret/ non vnum tantum / sed q; duo magnificentissima templa constructurus esset / alterum in Hungaria/ alterum Romæ. Nunc postq; arrisit fortuna / sedatisq; rebus ad orientem/nihil aliud restat/ q; vt impijs votis satisfaciat/ac in residuum Christianorum capiat expeditionem, quã rem non dilaturum esse timendum est : innumeras enim copias vndiq; cogit. Nos interim consilia differimus. Atqui vereor ne turbine quodam aduolantibus hostibus (falsus vtinam sim vates) pars per saltus dilapsi / pars petamus vlteriores regiones sine vllo duce / aut consensu suam quisq; spem / sua consilia communibus deploratis exequentes. Quod iam bis ætate nostra nouimus euenisse. Huius enimuero Thurcarum imperatoris auus Italicarum opum auidissimus ex Appollonia / quæ modo vrbs Valona dicitur / paruam suæ gentis manum in Italiam transmiserat : in cuius fronte Hydrunto capto/ tota Italia trepidabat: Cardinales Romæ fugam meditabantur. Collecto tamen ab omnibus Italiæ partibus exercitu / non solum expugnari non poterãt / sed ne prohiberi quidem quin populabundi excurrentes in ipsa fere tentoria hostium penetrarent. Implorato tandem Hungarorum auxilio/

Macedonia vix tribus bellis a Romanis domita.

Epirũ regia Aeacidarum.

Soldan? a Thurcis attritus.

Thurcę cupido.

Deruisc sacerdos Thurcarũ.

Machometus.

Impium Thurcę votum.

Apparatus Thurcarum in Christianos.

Auus huius Thurcę Hydrũtum in Italia occupauerat.

Thurcæ ex Italia excedunt.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Thurcarꝝ ipeꝝ i Polonos.

Dacia q̃ Vallachia

Thurcarꝝ interitus i Polonia.

Roma a Gallis obsessa.

Hanibal pgressus ad vrbẽ.

Carthago a regulo Scipionibusq; territa.

Thurcarꝝ castra.

Mos Carthaginensiũ in castris.

Virtꝰ apd Thurcas in precio.

Thurcarꝝ duces appellantur Bassę.

ac Thurcæ per idem tempus interitu nunciato, relinquentes vastatam prouinciam / incolumes domum ex pacto redierunt. Non multo post quadraginta millibus Thurcarum per tributariam Daciam in Poloniam irruentibus / positisq; non longe a Cracouia castris / ita territi sunt Poloni / vt ne principes quidem quid consilij caperent habuerint. Quum tamen consedissent hostes inter duo flumina / tanta repentcimbrium niuisq; copia cecidit / tanta vis frigoris superuenit / vt ille formidatus exercitus partim fame / partim frigore / non virtute nostra / pœne totus consumptus sit. Expectabitis igitur donec tantus hostis domi vos opprimat? donec machinis quatiat muros vestris agris exercitum eius alentibus? Nunq̃ Roma nutauerat maiori discrimine ante gallicam obsidionem / Hanibalẽq; ad tertiũ ab vrbe lapidẽ pgressum. Nũq̃ sic trepidatum est Carthagine / quemadmodũ Marco Attilio Regulo / Scipionibusq; sub ipsis vrbis oculis castrametantibus. Preterea nulla spes habenda est in mora propter grauitatem exercitus / siquidem in Thurcarum castris arctum genus disciplinæ seruantibus non institores / non lixas / nullum scortum / ac more Carthaginensium ne vinum quidem videbis / paucos quoq; Calones, ac rara impedimenta: sola cura in expeditis equis / & fulgentibus armis: vnde non opus est mutaturis locum vasa conclamari. Itaq; prius aduolant / q̃ audiantur, celerius opprimunt, q̃ sentiantur. Inter cætera illud quoq; memorandum est apud Thurcas / q̃ per tot annos semper in magna bellorum mole nemo rebellauerit, nullus proditor repertus sit: Quin omnes in fidem eorum ac nomẽ transeunt. Ibi præcipuus virtuti locus / ac certa redduntur præmia. Vidi quosdam apud Christianos nullius conditionis / apud Thurcas ad summos honores puectos. Proinde cõsiderate si diu regnaturos timendũ sit / siquidẽ ex captiuis prudentia / ac fortitudine insignib⁹ Scythicã adhęc impietatẽ amplectentib⁹ fiũt illi magni duces / q̃s Bassas vocãt, vñ quũ Gotti

statim post sexagesimũ annum in patriã (relicta Italia) remigrauerint: Thurcę vero quadringẽtos fere per annos in Asia atq; Europa dominãtes / indies quoq; ppagantes imperiũ inflammati sunt ad pessundandũ reliquos Christianos / nedũ q̃ parta iam dimittere velint. Quorꝝ neq; viribus / neq; ingenio / neq; animis deficientibus quid aliud futurũ speram⁹ / q̃ si toto Christianorꝝ conatu nõ resistatur / quibusq; proximis correptis per littora Hispanici & Gallici occeani victrices copias circũducturos. Quare compositis intestinis bellis / oblitteratis dissensionibus / reuocatis vitæ precijs / quæ pessum ierant / restauratis artibus liberalib⁹ / quæ in cõtrarium ceciderãt / in sola cõscientia benefactorꝝ / ac Christo propugnatore / cõtractis vndiq; copijs adoriamur sæuissimos Thurcas. Parata est potens Italia / nõ deerit bellicosa hispania / nõ pugnax Gallia / nõ pari animi magnitudine Britannia / Bohemis ad hoc / & Hungaris / cæterisq; validis gentibus non detrectaturis. Num vos fortissimi Germani eritis in tanto discrimine spectatores? non commouebimini Reipublicæ Christianę ruentibus habenis? Vos exteraꝝ gentium pati iugũ insueti imperium Romanũ ab interitu vindicauistis / vos nũc illud & conseruate. Sæpe vidimus in Italia Germanos pro gloria / pro magnitudine imperij / pro mercede q̃q; strenue dimicantes / vt cuicũq; adhęsistis / penes eum indubitata victoria remanserit: Nunc vobis p domo / liberis / patria / libertate / ac ipsa demum fide Catholica pugnandum est: vnde vos aut victores / aut victos / quod credere nephas est / immortalis gloria comitabitur. Aestimate q̃ pulchrum erit / quum dicetur / quũ passim omnis vox / omnia ora hominũ resonabunt / quum æthernis mandabitur monumentis: Germanos immanissimũ Thurcam antehac inuictũ repulisse / attriuisse / deleuisse: a Germanis Rempublicã Christianã restitutam & cõseruatam: Germanorꝝ virtute Christianos in libertatem a miserrima seruitute assertos. Tunc nõ vestræ aures / non oculi / nullus deniq; sensus / neipse quidẽ animus huius laudis dulcedine satiabitur. Exemplũ sane pulcherrimum.

Italia soluit a Gottis.

Thurcarꝝ diuturnũ imperiũ.

Romanũ imperiũ a Germãis defẽsum.

Germani fortissimi bellatores.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

habetis. Præter enim Polonos & Lituanos infidelibus Valachis/Tartaris/Moschis acerrime resistentes/Pruteni quidem & Liuones gens vestri nominis & vestri sanguinis nõ solum fidem aduersus Scythas fortissime tutantur: verũ etiam Balthei maris littora & mediterranea gloriose occupauerunt/ac hodie possident. Tibi vero cæsar Maximiliane summa huius gloriæ delibanda est: tibi Constantinopolitanum/& Trapezuntium duo splendidissima stemmata sunt accessura: in tantũ magnitudinis impius hostis excreuit/vt tu maximũ ac indelebile nomẽ ex ipso prostrato reportes. Ergo age fœlicib⁹ auspicijs Europam atq; Asiam/ac ipsam tertiam orbis partem Aphricam Christiano redde nomini/et Hierusalem sanctissima nostri saluatoris monumẽta e faucibus canum eripe: vt tuę tuorumq; fortissimorum Germanorũ laudes per totũ orbem decantentur/magnis vos & indefecturis prœmijs apud superos expectantibus. Dixi.

Poloni & Lituani cõtra infideles dimicantes

Vallachi. Tartari. Moschi. Pruteno rum & Liuonũ aduersus Scythas fortitudo.

Cęsar Maximilian⁹ Cõstantinopolis. Trapezus. Hierusalem.

TRANQVILLI PARTHEN DALMATAE CRMEN AD GERMANOS.

OVm licuit/Germana cohors/florentibus annis
Molliter in choreis religatos tempora mirto
Ad tibias nnmerosq; pares producere longa
Ocia: vel nocticq; diem/tenebrasq; diei
Iungere/diuersi referente Dione tenoris
Et lusus/dulcesq; iocos: dum cuncta benignis
Tempora sub fatis agerentur læta: nec vllis
Hostibus afflicti/nullam morbicq;/famisq;
Experti rabiem securis lusimus horis.
Iam mutat fortuna vices/præcepsq; sub imum
Turgentes cotracta sinus/deuoluitur axem.
Atraq; candentes abscondunt nubila soles.
Extremo sæuæq; ruunt Aquilone procellæ.
Horrida nunc Scythico reparantur bella furore.
Thurcarum crudele genus ceruicibus instat
Christianæ sobolis/ferro/flammisq; minatur
Omnia trans Alpes/Rhenum/Rhodanumq;/Tagumq;
Perdere: nec pugnax bellaces Cantaber hostes
Ipse nec Hesperio Lethes a littore/nec tu
Arcebis cunctis diuisa Britannia terris.
Ni pietas immensa dei/nostricq; misertа
Excidij: magnisq; malis/populoq; ruenti
Subueniat: nostrisq; procul relegata voluptas
Pectoribus cædat: fraternaq; prœlia cessent:
Odia Lernæo iaceant saturata veneno.
Nunc igitur ceruix galea crinesq; premendi:
Leuibus & clipeis opus est onerare lacertos:
Aegida pectus amet: lateri dependeat ensis:
Vibrentur dextra lœtali hastilia ferro:
Accædantq; trucem terrentia Classica Martem.
Hinc quoq; victrices Aquilas moueamus in hostem:
Vt ferus in patrias iterum/Duce & Auspice Christo/
Transfugiat latebras: posita formidine demum
Plæbs Christum venerata sacrum fœlicia captet
Ocia: & Astræo semper potiatur Amore.

In officina excusoria Iohannis Miller
Augustæ Vindelicorum. Sexto
Kalendas Iunias An-
no salutifero. M.
D.XVIII.